



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Pater Noster.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

manus tuas Domine commendo spiritum meum.

TERTIUM EXERCITIUM
CHRISTIANÆ PIETATIS.

*Oratio Divini Oratoris Domini nostri
JESU CHRISTI:*

Præceptis salutaribus, & Divina institutione formati, audemus dicere

PATER NOSTER.

DEUS, unus, trinus, omnipotens? tu es Pater omnium hominum, per creationem, quâ nos omnes ad imaginem tuam mirabiliter formasti. Tu es Pater omnium Christianorum per regenerationem, quâ omnes Sacro Baptismate in Christo renatos mirabilius reformasti, & ejus membra mystica Sancto Spiritu vivificata Divinitus effecisti. Tu es Pater electorum in dilecto, dilecto Deo. Homine illustrissimo Exemplari prædestinatorum, ad vitam æternam; qui tibi similes erunt

in gloriâ tuâ, quando adimplebis eos
gaudio tuo, & omni bono; ostendens
illis vultum tuum, essentiam tuam,
quam revelata facie in æternum con-
templabuntur, sibi in illa complacen-
tes, sicut tu in illis; ô Beata Trinitas
Deus, unus, trinus, omnium princi-
pium & finis, omnes electos tuos Bea-
tos in te solo reddens, ô Pater noster.

Qui es in Cælis.

QUAMVIS ubique sis præsens per
essentiam, potentiam, & immen-
sitatem, in Cælis tamen Beatorum;
ut in Throno Majestatis tuæ resides:
ubi omnes qui ibi sunt & erunt, Divini-
tatem tuam in Trinitate, sicut est in
se intuitivè videbunt & contempla-
buntur in perpetuas Æternitates: quâ
visione, dilectioni, & fruitioni tuæ
indivisim conjunctâ; omnes contem-
platores, amatores, & possessores tuos
beabis; & omni bono ac gaudio cu-
mulabis, in sæculum sæculi.

Tu es in Cælis Ecclesiæ tuæ mili-
tantis, in Templis tibi Soli Deo, uni,
trino, dicatis, ubi substantialiter abs-